

## No. 38. 1293. 1. Sept.

*Landgraf Dietrich stiftet zum ewigen Gedächtniss eines am 16. August über den Markgrafen Heinrich von Brandenburg erfochtenen glorreichen Sieges einen Altar in der Thomaskirche mit einer täglich zu haltenden Marienmesse und überweist demselben 4 Talente aus der Münze.*

In nomine sanctae et individuae trinitatis amen. Theodericus dei gratia iunior lantgravius Thuringiae, Orientalis et Lusaciae marchio omnibus Christi fidelibus vitae praesentis temporis et futurae salutis perpetuae incrementum perpetuum in eo, qui salus et conditor est omnium atque vita. Cum omnium habere memoriam potius divinitati quam mentibus hominum ascribatur, fragilitati conditionis humanae succurrendum ratio et rationabilis operatio dictitavit et formam huius dictaminis in posteros traduci consuluit per viam sapientiae et doctrinae. Quamobrem ut pia facta modernorum apud posteros clarius elucescant, notum esse volumus singulis et universis hoc praesens nostrum scriptum audientibus vel visuris, quod per gratiam triumphantis aeternaliter et regnantis suaeque matris Mariae virginis gloriosae suffragiis et piis intercessionibus nobis suffragantibus a nostris adversariis triumphum laudabilem et vere laude dignum in crastino sollempnis assumptionis beatae Mariae virginis, Henricum marchionem de Brandenburg gloriosum principem debellando fuimus assecuti. Nos inquam ipsius elementiam et elementem misericordiam, ad cuius nutum omnia disponuntur, intenta mente intentius intuentes ad gloriam patris et filii et spiritus sancti cum omni humilitate et humilitatis devotione gratias agentes altissimo prosternimur ipsi ac suae matri Mariae reginae coelorum celebriter venerandae in signum nostrae victoriae et triumphus de facultate nobis a deo collata altare in ecclesia beati Thomae apostoli in Lipzk construi procuravimus, ordinantes ut diebus singulis aeternaliter in eodem missa sollempnis de beata virgine celebretur. Et ut celebrantium in eodem satisfiat laboribus et delectamentum ipsorum mentibus suavius ac dulcius offeratur, quatuor talenta denariorum usualium in moneta Lipzk iusto emptionis titulo comparavimus ante dictum altare dotando, praeposito et priori totique conventui ecclesiae beati Thomae apostoli iure proprietatis contulimus et appropriavimus perpetuo possidenda. Adicientes statuimus, ut haec summa denariorum annis singulis in die beati Aegidii prius dictis dominis persolvatur. Et ut haec nostra ordinatio perpetuae firmitatis robur accipiat, praesentem paginam nostri sigilli karactere iussimus fideliter communiri. Cuius testes sunt viri nobiles comes Hermannus de Orlamunde, Fridericus comes de Rabenswald, Henricus advocatus de Wida, Hermannus et Theodericus de Schonenburch, Reinhardus de Strele, Volradus de Kolditz, Johannes de Geilnowe et alii quamplurimi fide digni. Datum et actum Lipzk anno domini M<sup>o</sup>.CC<sup>o</sup>. nonagesimo tertio Kalend. Septembris.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig mit dem wohlerhaltenen Reitersiegel an Fäden von rother und gelber Seide.

Vogel Leipz. Chron. S. 107. — Schöttgen u. Kreysig Diplom. Nachlese I. S. 60. — Wilkii Ticem. Cod. dipl. p. 103. — Riedel Cod. dipl. Brandenburg. II. Bd. I. S. 205.